DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

BLENNORHAGIA.

13

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

BLENNORHAGIA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

Pro GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

GULIELMUS HAMILTON,

Hibernus.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XCIII.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31969008

Avo ſuo chariſſimo,

ARCHIBALDO HAMILTON

DE MULNAGORE,

In Comitatu Tyronienſi,

ARMIGERO,

Virtutibus inſignibus, moribuſque ingenuis,

Propinguis dilecto,

Amicis caro,

Vicinis accepto;

Propter multa beneficia in ſe ſuoſque collata,

Et propter amorem vere paternum,

(Patre jam obrepto,)

Quo non ſemper non ſecutus eſt;

Hanc Diſſertationem Medicam Inauguralem,

Exiguum quidem,

Sed ſincerum,

Animi haud ingrati monumentum,

D. D. CQUE

GULIELMUS HAMILTON.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

BLENNORHAGIA.

Auct. G. HAMILTON.

EX quibus terrarum partibus, vel quo tempore, morbi contagioſi primam originem habuerint, adeo in tenebris obductum eſt, ut forſitan in eternum latuerit. De morbis venereis res aliter fortaſſe non ſe habet; ex poetarum enim et hiſtoricorum ſilentio de hac re, antiquos ignaros fuiſſe patet. Scripta quoque auctorum recentium hoc confirmant.

Aſtruc, cujus de ſagacitate et accuratione nemo ignorat, quique maxima diligentia hanc rem perſcrutari conatus eſt; tradit luem ab Hiſpaniola, nunc St. Domingo inſula, a nautis Chriſtopheri Columbi, in Hiſpaniam circiter anno 1494 illatam fuiſſe; et hinc mira celeritate, per omnes Europae partes, longe lateque vagari, teſtatur: Idemque auctor ingenioſus affirmat, annos poſt 40 elapſos, blennorhagiam apparuiſſe.

DEFINITIO MORBI.

Titillatio, praecipue in urethrae parte anteriore, in lacuna Morgagni ſub fraenulo; ſubſequente poſt biduum aut quatriduum, phlogoſi locali, cum ardore et dolore in mingendo; accedente ſtillicidio materiei puriformis ex urethra; corpore cavernoſo urethrae praeternaturaliter turgeſcente, plerumque cum erectionibus

membri

membri virilis ſolito frequentioribus, dolorificis *.

HISTORIA.

Poſt concubitum impurum plerumque blennorhagia apparet. Aliquando brevi tempore, aliquando vero multo ſerius, ſed plerumque inter diem tertium et undecimum, vel paulo poſt, ſeſe oſtendit. Hujus irregularitatis cauſam ſtatuere non poſſumus. A diverſis temperamentis haud videtur pendere, nec materiae venenoſae acrimonia adaucta; et ſymptomata, etſi longius protracta, aeque, ac ſi citius apparuerint, mitia ſunt. Pendere videtur aliquid de intemperantia et coelo ſub quo degimus †. Blennorhagiae ſigna in diverſis hominibus valde diverſa ſunt; ac vix aut ne vix quidem, ſimilia in ullis duobus

* Vide Swediaur on Venereal Complaints, p. 70.

† Vide Celeb. Duncan's Praelect. Pract.

bus exemplis. Plerumque ordinem ſequentem ſibi aſſumunt.

Indicium primum eſt ſenſus pruritus inſolitus, ſeu titillationis gratae ad orificium urethrae. Hoc gradatim tumore et rubore afficitur, necnon turgidulum et ſolito apertius fit: Inſolitam cupiditatem urinam reddendi ſentit aeger, cum dolore inter mingendum, praecipue ad urethrae orificium, cum ultimae guttae reddantur: Urina pleno rivo fere nunquam emanat: Teſtes necnon aegro quaſi rotari ſentiuntur, qui plerumque, praeter conſuetudinem, in Venerem proclivis eſt.

Indicia nunc enumerata plerumque muci fluxum praecedunt: Aliquando attamen ſubſequuntur, vel ſaltem adeo mitia ſunt, ut aeger vix animadvertit. Species materiae excretae in diverſis hominibus raro eadem eſt: Colore, quantitate, et ſpiſſitate, multum variat: In primis die-

bus,

bus, muco ſano perſimilis eſt; ſed magis albida, deinde tenuior, copioſior, ſaepe flava, aliquando ſubviridis, necnon ſubinde ſanguine tincta, evadit.

Glans penis jam et praeputium haud parum inflammatione infeſtantur; glans ſaepe colorem ceraſi aſſumit, et materia ſanioſa nonnunquam exudit, hoc blennorhagia balani Swediauri eſt; praeputium quoque craſſius fit: Aliquando ſupra glandem contrahitur, aliquando vero pone; nunc phymoſin, nunc paraphymoſin, formans. Glandis quoque et praeputii excoriatio ſaepe haec ſymptomata comitatur. Hocce tempore diſtentio et plenitudo totius penis obſervatur, praecipue vero urethrae corporis cavernoſi. Penis irritabilis evadit, et tactus dolet; et aeger, preſertim inter decubitum, cum in lecto calidus fit, frequenti tentigine (*chordee*) infeſtatur. Aliquando in unum latus, frequentius vero in declive penis quoque incurvatur. Hoc maximus dolor,

dolor, et ſenſus quaſi lacerationis, vix aut ne vix quidem tolerandus, comitatur. Super dorſum penis vaſa lymphatica duritie ſaepe afficiuntur, et funiculis tactu ſimilia ſentiuntur. Bubones quoque (*ſympathetici* dicti) formantur; plerumque ſine uſu remediorum ſubſidentes.

Tumores teſtium hoc morbi ſtadio ſaepe ſeſe oſtendunt, et praeſertim ſi aeger multum exercitavit. Hujus ſymptomatis formationem praecedunt dolores pungentes, curſum funis ſeminalis ſequentes, necnon aliquando ſuper abdomen et femora diffuſi. Vaſa ſpermatica nunc tumore afficiuntur: Epydidimis gradatim intumeſcit, et tandem ipſe teſtis: Dolor obtuſus et ſenſus quaſi ponderis in teſte plerumque comitatur.

Quamvis, ut poſtea videmus, urethra per totum curſum, in multis exemplis, inflammatione non infeſtetur; tamen aliquando, remediis ineptis ſumptis, vel imprudenter adhibitis, peculiari aegri

aegri irritabilitate, vel forſitan maxima materiae veneneoſi acrimonia, canalis per totum curſum inflammatur, uſque etiam ad viſicae cervicem; hinc multa et moleſtiſſima ſymptomata, vix aegro toleranda. Inflammatio ad partes urethrae appropinquantes tranſit: Glandulae Cowperi afficiuntur: Ulcera dira, et vix ſanabilia, formantur: Ubi inflammatio glandulae proſtatae ſupervenit, dolor profundus in perinaeo ſentitur; aeger mingere cupit, cum dyſuria, aliquando etiam iſchuria, ſeſe manifeſtat. Glandula ipſa duritie et tumore afficitur, qui plerumque tactu digitorum per anum percipitur.

In veſicae ipſius affectionibus dolores pungentes ſuper regionem hypogaſtricam et lumborum ſentiuntur. Hi meatibus urinae uſque ad renes communicari ſolent: Urina frequenter, ſed cum dolore et difficultate in mingendo, redditur, et poſt certum tempus, ſedimentum albidum, mu-

coſum,

coſum, ſaepe foetidum, deponit: Aliis exemplis vero ex toto ſupprimitur.

Carunculae, et ſtricturae in urethra poſt inflammationem violentam, ſaepe apparent. Praeputium quoque et glans penis nonnunquam verrucoſa relinquuntur. Haud raro accidit, poſtquam alia blennorhagiae ſigna deceſſerunt, humorem mucoſum, cum nulla vel minima dyſuria ex urethra ſubinde fluere, et ſaepe per annos perſtare. Hoc apud Cullenum *gonorrhoea mucoſa*, Ang. *gleet*, appellatur.

Obſervatione conſtat, profluvium, ſi forte aegrotus quolibet morbo acuto, veluti febre, corripiatur, aliquamdiu ceſſare, nonnunquam non rediturum.

Porro, in quibuſdam exemplis, cum profluvium ſubito ſupprimitur, ophthalmia graviſſima extemplo ſupervenit. Mulieres eodem fere modo,

ac viri, hoc morbo affici ſolent: Earum ſigna igitur deſcribantur non neceſſe eſt: Tamen notatu dignum eſt, morbum in ſexu foemineo plerumque leviorem eſſe, ſed ad veſicae affectiones, propter partium vicinitatem, procliviores eſſe.

Parum notare neceſſarium foret, omnia ſigna ſupra enumerata nunquam fere in eodem exemplo conjungi; modo enim unum, modo aliud, deeſt.

DE RATIONE, QUA VIRUS IN URETHRAM INGREDIATUR,

Auctores, donec nuper, multum inter ſeſe diſputaverunt. Aſtruc, virus in urethram per vaſa abſorbentia invehi, exiſtimavit. Alii per glandem tranſudare, veluti aqua per ſpongiam. Profeſſori autem celeberrimo Monronii ſoli contigit hujuſce facti luculentam explicationem praebere. In praelectionibus ſuis eruditiſſimis, ſic in-

quit: "Dum penis erigitur, ſummamque diſtentionem attingit, muci portio naturaliter cavitatem urethrae cingentis exprimitur, et, ſub forma guttulae, ad urethrae orificium manet; haec vero veneno venereo impregnata, in urethram pene ſubſidente, retrahitur attractione capillari, veluti oleum per laminas duas vitreas."

CAUSÆ MORBI.

Obſervatione conſtat, quoſdam, prae aliis, multo facilius hoc morbo corripi: Hujus cauſa non clare patet; fortaſſe pendeat nimia urethrae mobilitate et irritabilitate; et huic favere videtur, hos qui blennorhagia experti ſunt, in morbum eſſe procliviores.

Quod ad cauſam excitantem attinet, de natura ex toto ignoramus; experimentis Swedauri in ſeipſum factis, et etiam ſcriptis viri celeb. Hunter

ter (pag. 91.) veriſimile eſt, materiae profluvium, aeque ac in blennorhagia, a quadam cauſa irritante produci poſſe. Tale profluvium vero contagione propagari, non apparet.—Ineptum forte hic videretur negligere quaeſtionem, de qua nuper multum diſputatur; nempe, utrum virus blennorhagiae producere poſſit luem, et vice verſa. Argumenta tamen et facta, quae ad rem rite indagandam, tam numeroſa ſunt, ut fines diſſertatiunculae hujuſmodi multum excedant; igitur ſilentio in praeſens preterire, melius ducemus, quam quaeſtionem tanti momenti leviter attingere.

SEDES MORBI.

Multis olim placuit, blennorhagiam in veſiculis ſeminalibus ſedem habere, (hinc ineptum nomen gonorrhoea). Alii, glandulam proſtatam tenere, opinati ſunt. Quamvis vero has partes, in quibuſdam exemplis, ubi inflammatio magnopere

nopere intenditur, affici, negare non poſſimus, tamen diſſectionibus accuratiſſimis liquet, materiam excretam plerumque ſub lacuna Morgagni, vel circiter pollicem cum dimidio oſtio urethrae, vel paulo amplius, provenire, et, in primis morbi ſtadiis, fere nunquam cum ulceratione.

DIAGNOSIS.

Hiſtoria ſupra recenſita, diagnoſis in maribus perfacile patebit. In mulieribus vero leucorrhoeam a blennorhagia rite diſtinguere ſaepe difficile eſt. In blennorhagia ſentiuntur dolor et calor ex urina reddenda, inflammatio et aliquando tumor labiorum pudendi, quae etiam aliquando eroduntur. In leucorrhoea, haec rarius offenduntur: In hac quoque, aeger ſenſu doloris et ponderis in regione lumborum, languore, laſſitudine, debilitate, anorexia, &c. fere ſemper infeſtatur.

PROG.

PROGNOSIS.

Hujus morbi prognoſis plerumque benigna eſt ; in hominibus aliter ſanis, idoneis remediis adhibitis, et cum aegroti rationis vivendi idoneae ſatis tenaces ſunt, morbus plerumque in duabus ſeptimanis, vel ocyus, depelli poteſt : In corporibus vero irritabilibus, et ubi idonea remedia applicata non fuerunt, inflammatio gravior fit, totum urethrae curſum, parteſque profunde ſitas infeſtat, morbus plerumque diu manet, et prognoſis fere ſemper difficilis eſt. Experientia quoque viri erud. B. Bell apparet, curationem morbi in hominibus, ſcrofula male ſe habentibus, ſemper tardiorem eſſe. Necnon primam blennorhagiam, non modo ſymptomatibus multo graviorem, ſed longe diuturniorem eſſe, quam affectiones poſteriores, conſtanter notavi.

RATIO

RATIO SYMPTOMATUM.

Signa morbi primaria, veluti titillatio, pruritus, urethrae plenitudo, ardor urinae, materiae profluvium, &c. clare pendere videntur ab inflammatione inducta ſtimuli applicatione, ad partem maxima ſenſibilitate gaudentem: Hujus vero propagatione per urethrae tunicas ad veſicam uſque, ſpaſmi, &c. formantur: Hinc dyſuria et nonnunquam iſchuria. Haec ſymptomata vero aliquando originem habent ab inflammatione veſicae ipſius, vel ab tumefactione glandulae proſtatae compremendo urethrae cavitatem. Ubi inflammatio adeo intenditur, caruncularum, ſtricturarum, craſſitudinum, ulcerum urethrae, &c. formatio, perfacile intelligetur. Phymoſin et paraphymoſin, contractione et craſſitudine praeputii, explicare ſolemus. In hominibus qui

hoc

hoc ſolito longius habent, ſupra glandem contrahitur, glande vero magnam praeputii portionem poſſidente, pone retrahitur. Bubones formantur communicatione inflammationis per vaſorum lymphaticorum tunicas ad glandulas, hinc durities in vaſis lymphaticis, ubi materia ſyphilitidis ad maſſam ſanguinis pervehitur, fere nunquam obſervanda.

Signum vulgo *chordee* fortaſſe difficile explanatu erit. Si ab lymphae coagulabilis effuſione, ut vult celeb. J. Hunter, penderet, ſymptomata diu manerent, et in ſuppuratione frequentius terminationem haberent. Aliis quoque placuit * a totius penis irritabilitate, ſympathia nervoſa contractionem muſculorum adjacentium inducente, hoc indicium provenire. Attamen cum illis conſentire non poſſumus: Etſi enim maxima irritabilitas adſit, tamen fibrae muſculares, quibus contractio perficiatur, nullae ſunt, nec

ad

* Vide Bell on Venereal, pag. 149.

ad perinaeum tentigo accidit, ubi fibrae muſculoſae ſunt, ſed penis ſummitatem verſus. Forțaſſe huic indicio explanationem praebere poſſumus, plenitudine, et craſſitudine, corporis cavernoſae urethrae, et penis ipſius, oriundis vaſorum in iis ſparſorum inflammatione. Nonne quod in pulmonum inflammatione accidit hoc confirmat? "*The difficulty of breathing is always preſent, but moſt conſiderable in inſpiration; both becauſe the lungs do not eaſily admit of a full dilatation, and becauſe the dilatation aggravates the pain attending the diſeaſe* *."

Tumor teſticulorum proxime conſiderandus eſt. Aſtruc opinatur, repulſione et depoſitione viri venerei in teſtibus, hunc formari. Repulſio vero formationi hujus ſymptomatis minime neceſſaria eſt; et, profluvio adhuc manente, ſigniſque inflammationis maxime perſtantibus, frequentiſſime exiſtit; necnon, celeb. Monro, de hac

* Vide Cullen's Practice.

hac re tractans, ſic ait: "Contra ponere, venenum venereum, recta per vaſa lymphatica, vel per vas deferens reſorptum, in teſtes recurrere, et eos occupare, anatomiae omnino adverſatur *."

Alii, ut Dr Swediaur, opinati ſunt, ſecretione ſeminis adaucta, et irritatione apud vaſorum ſeminalium extremitates, excretionem ejus impediente, et accumulationem producente, hunc tumorem pendere. Factum a Profeſſore noſtro ingenioſo Home (in praelectionibus ſuis clinicis) recenſitum, huic doctrinae favere apparet. Inquit vir ille celeb. ſaepe vidiſſe, hominibus rem habere cum ſexu amabili appetentibus, et cum maxime in venerem proclives eſſent, teſtes tumore affici. Obſervatione quoque conſtat, teſtium tumorem in quibuſdam exemplis, evacuatione ſeminis ſine voluntate, mitiorem fieri:

C Huic

* Vide Monro de Teſtibus.

Huic vero opinioni conſentire non poſſumus; nam, in priore exemplo, tumor nunquam diu manet, et plerumque evacuatione ſeminis, vel cum vel ſine voluntate, ad finem perducitur; etiam in teſticulorum tumore, a veneno venereo pendente, ubi evacuatio ſeminis accidit, bonos effectus, mea ſententia, producit, levando ſtricturam, veluti evacuatio ſanguinis a quadam parte inflammata; et certe nullam huic doctrinae confirmationem praebet; etſi dolor, in pleriſque exemplis, non ſit valde acutus; nam, ut Cullenus immortalis obſervavit, nunquam partes glandularum intimas adeo inflammatione acuta infeſtari invenimus, ac partes membranaceas.

Opinio viri celeberrimi Monronis, et Hunter, &c. qui ſecuti ſunt, de hac re, maximam attentionem ſibi vindicat; nempe, inflammationem per vaſa deferentia ad epydidymin advehi, et poſtremo ad teſtem ipſum. Hinc intelligentur dolores funem ſeminalem ſequentes; ſymptoma

quoque

quoque ab operatione, vel quavis cauſa irritante pendens. Stillicidium, quod ſaepe manet, aliquando ſtrictura, ſed multo frequentius a debilitate, pendet.

METHODUS MEDENDI.

Ad tempus Sydenhamii uſque, hujus morbi curatio ſemper catharticis perfecta fuit, deinde, ſuppoſitione ſyphilitidis blennorhagiae ſupervenientis, mercurius aegro liberaliter devoratus fuit, unde ſalivae fluxus, ſic vires franguntur, et ſtillicidium inveterat. Fluxum muci quoque conamen naturae eſſe venenum venereum depellere exiſtimaverunt; huic igitur quam maxime potuerunt favere nixi ſunt. Injectiones, ſi unquam admiſſae, oleoſae vel mucilaginoſae fuerunt, partes acrimonia viri defenſurae, vel fortaſſe mercurialis venenum venereum, vi *ſpecifica*, depulſurae.

Balſama

Balſama ſtimulantia quotidie in uſu fuerunt; nam inde omnia interna ulcera curari putarunt, ex quibus morbum provenire affirmabant. Ex morbi noſtra notitia, jam temporis provectiore, indicationes curationis tres ſeſe offerunt.

1*mo*, Materiam irritantem ex urethra expellere; vel partes ab ejus actione defendere.

2*do*, Inflammationem tollere.

3*tio*, Partes corroborare, et morbi ſequelas depellere.

Primae indicationis parti priori reſpondere, multi viri ingenioſi putarunt, materiam venenoſam expelli poſſe antequam ulla ſigna morbida apparuere, etiam illico poſt concubitum impurum: Hinc multa remedia ad morbum praecavendum; et "*haec omnis circumforaneus medicus jactat.*" Praecipuae ex acribus ſalinis, in aqua ſolutis,

ſolutis, conſiſtunt, veluti *alk. cauſtic. merc. muriat. fort.* cum multis aliis. Uſus vero eorum, ſine diſcrimine, multum periculi habet; nec compertum eſt, horum efficaciam tale periculum compenſaturam. Fortaſſe modo ſimpliciori ad eundem finem perveniamus, et hoc eſt poſt coitum ſemper mingendo. Ratio qua virus in urethram ingreditur hoc edocet, et in paucis exemplis juvenum tali precautione utentium, pro certo ſcio, eos morbum non adeptos fuiſſe.

Ubi ſigna morbida manifeſta ſunt, quodcunque progreſſui morbi obſtet, hoc utimur; haec vero, ope injectionum, ex foſſilibus quibuſdam et vegetabilibus aſſumptarum conamur; horum praecipua ſunt ceruſſa acetata, zinc. vitriolat.—alumen.—Infuſ. cort. querc.—gallarum.—gummi kino,—vin. rubr. cum multis aliis. Haec in urethram ope ſyphone blennorhagico immittuntur. Attamen de propriis eorum viribus, tempore quo maxime prevaleant, necnon modo quo utantur,

tur, tam accuratiſſime tractatum eſt opere nuper in lucem edito a B. Bell erudito, ut hic deſcribantur non neceſſe ſit. Veruntamen, cum illo auctore non poſſum quin diſſentiam, ubi ait: "But, although there is no neceſſity for throwing injections farther than the ſeat of the diſeaſe, there is no cauſe for anxiety in preventing them." Enim, cum tanta et dira ſymptomata, ab inflammatione profunde ſita videamus, et cum perfacile intelligamus quomodo tali injectionum uſu, hoc propagari poteſt, non opinari non poſſumus, preſſuram pone partes morbidas perutilem fore; mecum quoque ſaepe putavi, a retinendo materiam injectam aliquandiu in urethra, bonos effectus provenire. Hoc vero, niſi auxilio mechanico, factu difficile eſt; quocirca veriſimile videtur, inſtrumentum jugo penis ſimile, ita conſtructum, ut urethrae ſolummodo compremat, plurimum in hac re profuturum; eoque magis, quoniam copula ab eruditiſſimo

Monrone

Monrone commendata, propter tentiginem in quibuſdam exemplis non ſit admittenda.

Decocta ex ſemine lini—radice althaea—gummi arabica, &c. ore aſſumpta, hoc morbi ſtadio maxime proſunt.

Proximum eſt, ut conſilium ſecundum, *nempe inflammationem tollere*, conſideremus.

Inflammatio et ejus ſymptomata, hoc morbo, in corporibus robuſtis, quae validiſſima valetudine fruuntur, maxime occurrunt. In hujuſmodi exemplis detractio ſanguinis generalis, etiam ab initio morbi, neceſſaria eſt; regimen antiphlogiſticum quoque ſtricte adhiberi debet. Purgantia mitiora itidem maximo beneficio ſunt. Inflammatione autem magnopere ingraveſcente, partibuſque quibuſdam maxime affectis, tunc ad ſanguinis miſſionem topicam, &c. decurremus. De his autem ſigillatim pauca dicere opportet.

In

In *phymoſi*, hirudines, cataplaſmata, ſaccharo ſaturno conflata, et fomenta, praeputio applicanda ſunt. Blanda quoque inter glandem et praeputium injecta, non raro utilia.

In *paraphymoſi*, haec eadem medicamenta proſunt, cum his necnon conferunt digitorum preſſio, praeputii ſupra glandem attractio, et frigoris applicatio. Remediis jam enumeratis vero fruſtra adhibitis, tunc ne gangraēna ſuperveniat, praeputium ſcalpello incidere oportet.

In *chordee*, praeter medicamenta ſupra laudata, opium ore liberaliter devoratum, et ſub forma injectionis vel linimenti applicatum, quam maxime adjuvat. In hominibus vero valde irritabilibus, ubi opium inimicum eſſet, hyoſcyamum nigrum vice ejus ſubſtituere praeceptum eſt.

Tumore teſtium incipiente, medicamenta vomitoria utilia ſunt, corporis necnon ſitus decumbens,

bens, vel ſaltem penis et ſcroti ſuſpenſio, dum inflammatio viget, ſanguinis refluxui faventia, haud parum conferre videntur.

Denique, ſi inflammatio ad partes profunde ſitas tranſit, glandulaſque Cowperi (ut vocantur) et proſtatam affecerit, veſicatoria perinaeo applicata praecipue proſunt.

Ad conſilium tertium nunc pervenimus, ſcilicet, *partes corroborare*.

Stillicidium, ut antea dictum fuit, poſtquam alia blennorhagiae ſigna deceſſerunt, aliquando manet, hoc nonnunquam ſtrictura, ſed plerumque debilitate pendet; in priore caſu ad uſum *bougees* decurrendum eſt: Ubi vero a laxitate originem habet, injectionibus aſtringentibus, medicamentis roborantibus, balneo frigido, cortice Peruviano et vino, &c. utimur. Stimulantia quaedam, qualia balſamum copaibae, oleum

terebinthinae, tinctura cantharidum, &c. apud Joannem Hunter ingenioſum ſumma laude habentur.

Multa alia debilitatis ſigna, velut ſtillicidium urinae, impotentia, &c. adhuc reſtant; haec vero omnia tanta eruditione tractata ſunt, opere nuper laudato, ut nihil amplius hic addere poſſim.

F I N I S.